

Uddrag af Hans Povlsen Resens Jubilæumsskrift Lutherus triumphans.

Dette Skrift, som ovenfor S. 19 f. er karakteriseret, hører nu til de litterære Sjældenheder, hvilket er mærkeligt nok, da det maa antages i sin Tid at have faaet en vid Udbredelse. I det lange Tidsrum, hvori jeg med temmelig stor Opmærksomhed har fulgt hvad af dansk kirkehistorisk Litteratur, der er fremkommet paa Auctioner eller hos Antikvarer, mindes jeg aldrig at have set dette Skrift nævnt, og de to Exemplarer, som findes paa de offentlige Bibliotheker i Kjøbenhavn, synes at være defekte; i alt Fald ende de begge paa samme Sted uden Afslutning og uden Angivelse af Trykkeaar eller Bogtrykker. Da Bogen altsaa er ligesaa vanskelig at faa i Hænde som mangt et Haandskrift, har jeg

ment, at det vilde være behageligt for Dyrkere af den danske Kirkehistorie at faa en lettere Adgang til Benyttelsen af de Partier af Skriftet, som særlig vedrøre Forholdene i Fædrelandet. At ledsage Uddraget med udførlige Anmærkninger, der paavise de forskjellige Misforstaaelser eller Fejltagelser, Resen har gjort sig skyldig i, vilde vistnok være nyttigt nok; men da et saadant Arbejde vilde tage mere Tid, end jeg for Øjeblikket har til Raadighed, har jeg maattet indskrænke mig til nogle enkelte Noter, der paapege mere fremspringende Fejltagelser. Mit Hovedformaal har været at give Kirkehistorikere en lettere Adgang til Studium af Resens Arbejde, end man hidtil har haft.

Skriftet „*Lutherus triumphans*“ bestaar af følgende Afsnit:

1. En udførlig Tilskrift til vor Herres Jesu Christi rene Evangeliums oprigtige Elskere og tro Forkyndere i Danmark og Norge (handlende navnlig om de forskjellige Udgaver af Luthers Postil). Dat. Hafniæ 18 Febr. ipso die Constantiæ et Concordiæ, 1617.

2. „*De Postillis Lutheri maioribus et Latina earundem versione Buceriana, hoc amplius*“; altsaa en videre Udførelse af det 1ste Afsnit.

3. *Methodus (parva instructio L.) docens, quid in Evangeliiis quærendum, quidue expectandum.*

4. *Jubilæus Christianus — — pro sancta memoria restitutæ doctrinæ verè Evangelicæ, felici auspicio et ministerio salutari D. Martini Lutheri.* Dat. Hafniæ 23 Septemb. 1617. (En kort Meddelelse om den forestaaende Jubelfest, rettet til alle Danmarks og Norges og Islands Biskopper, Generalprovsten paa Gulland og Provsten paa Færøerne, hvilke alle ved Navne opregnes, samt til „de ærværdige Fædre i Hertugdømmet Slesvig og det øvrige Holsten“).

5. *Jubilæi Solennis Intimatio in Universitate R.* Dat. Hafniæ pridie Calend. Octobr. 1617. (Af dette Stykke meddeles et Uddrag nedenfor). Herefter følger tvende latinske Poemata om Luther, det første undertegnet T. B., det andet J. M. Da det ikke kan være tvivlsomt, at derved betegnes Thomas Bang og Jacob Matthiesen, fremgaar deraf, at den foreliggende Udgave ikke kan være fra 1617, da disse to

begavede unge Mænd først 1621 kom som Studenter til Universitetet; men Digtene tyde paa Aaret 1622, da begge Forfatterne opholdt sig i Prof. Jesper Brochmands Hus¹⁾).

6. *Indicatio eorum*, quæ in annuis Jubilæis Evangelicis per Septentrionem inprimis considerari possunt, ad usum et ædificationem salutarem. Dette Skriftets Hovedparti indledes med nogle Bemærkninger, der formentlig godtgjøre, at den foreliggende Bog ikke kan være udkommen 1617, men først nogle Aar efter (maaske 1622 ell. 23, men ikke senere end 1626, se Danske Mag. 5. R. I, 69), medens derimod Afsnittene 4 og 5 under Titel „Jubilæus Christianus“ udkom (i 4to) 1617, og nu paany optryktes.

I. Af „*Jubilæi solennis Intimatio*“.

Erat eodem tempore [1517] apud nostros Helsingorenses Fr. Paulus Eliæ Vardbergius, ingeniosus inprimis et eruditus, ut isto priore seculo, præ alijs: qui adeo percelleretur tali facto tam inexpectato²⁾, ut vix amplius veritus fuerit, vel in monasterio, sæpius palam reprehendere complures abusus Ecclesiæ Romanæ et Monachos rudes, ineptos, superstitiosos, cum Luthero unà³⁾.

Atque id fecit ulterius etiam, ubi huc advenerat anno proximo, et quidem asscitus postmodum in R. Academiam Lector in sacra pagina, ut tunc locuti sunt, princeps interea ac Magister Collegij novi Carmelitarum, in eo loco, ubi jam est Collegium Walkendorphianum: Licet post tamen quasi obliquato velo, ad ostia priora, navem Petri falso existimatam, appellere conatus fuerit, (unde immutati pallij nomen invenit), ad id allectus ab Episcopis Pontificijs callidè.

At confirmator tandem et ad se rediens, stetit pro veritate, sicut ab initio, ac doctrinam reformatam publicè docuit Roiskildix: ut Lector et Concionator, dum vixit annis aliquàm multis, non sine auditorum fructu et delectatione: quæ ex

¹⁾ Kirkehist. Saml. 3. R. V, 195 ff.

²⁾ Nemlig Luthers uforfærdede Optræden mod Afladshandelen.

³⁾ Jvfr. Aarsberetning fra det Kgl. Bibliothek I, 253—4.

Matricula antiqua R. Universitatis, itim nostro illustri Arnolfo Huitfeldio in Christierno II. et monumentis tum Latinis, tum Danicis ab illo relictis, satis manifesta sunt.

Et quid? quod interea anno etiam 19. Petrus Parvus Roëschildensis, Witenbergâ reversus¹⁾, ante suum²⁾ Hortulum Synonymorum, quem tunc edidit Hafniæ, quasi aliud agens, ex iisdem initiis istis ita permotus, heic commendavit Henrico Fabri Elnbogensi hunc eundem Martinum Lutherum: ut Theosophicæ veritatis nobilitate (sic enim scripsit) insignem Doctorem: sed præmissa tamen mentione sui doctissimi Philippi Melanchthonis: qui anno proximo Witenbergam advenerat ex Academia Tubingensi 25. Aug. quasi *παραστάτης* Luthero (quod ipse sic agnoscit) paratus à Deo in compluribus.

Sed et anno 20. ita talis lucis radij emicuerunt apud nos in publicum, magis magisque: ut Rex Christiernus II. acri ingenio satis dignoscendis imposturis Pontificijs, scripserit sollicitè illustrissimis avunculis, Duci Friderico et D. Johanni, Elect. Saxonie, qui huc transmitterent talis doctrinæ verioris gnarum hominem³⁾, à quo nostrates recte doceri poterant: ut obtinuerit quendam D. Martinum, virum eruditum ac syncerum: cui etiam absque mora potestatem fecit sic docendi, in æde heic olim D. Nicolao sacrata, per conciones pomeridianas dierum Dominicorum et festorum: quod sic quoque exsequebatur, quàm diu hoc petulantia vulgi permisit.

Idque adeo verum est, ut de eo sic scripserit Georgio Spalatino Lutherus, anno statim 21. tom. 1. Epist. 313. Rex Dacie (seu Danie) etiam persequitur Papistas, mandato dato Universitati suæ ne mea damnarent. Ita retulit, quem illuc dedimus D. Martinus, reversus ut promoveretur (in Magistrum) rediturus illuc etc. Quibus sic publicè factis, ita nonnulli commoti erant, ut significarit per Epistolam Melanchthoni

¹⁾ Den af Resen her begaaede Fejltagelse, idet han lader Peder Parvus komme tilbage fra Vittenberg, skjønt han udtrykkelig selv siger, at han ikke har været der, er siden gjentaget af mange. (Jvfr. Ny kirkehist. Saml. II, 240).

²⁾ Ogsaa her er en Misforstaaelse, da Hortulus Synonymorum ikke er Peder Parvus's, men Henrik Smiths Arbejde.

³⁾ Orig. har: hominum.

eodem anno, Cæsarem etiam impetitum ab istis, ut Regi Daciæ scriberet, ne reliquias Lutheranae hæreseos reciperet. Ibid. fol. 324. Heic jam rediit ex Germania, ad Theologicæ facultatis professionem M. Johannes Tausanus, anno eodem 21. Et quanquam propter motus graves istius tempestatis, in primis vero postquam exierat R. Christiernus in Germaniam, conticuit quodammodo vox Evangelii ad annum et alterum ferme: erupit tamen vicissim, jam coronato Rege Friderico I. anno 24. tum in monasterio Antvorschoviensi, unde stipendiarius Tausanus fuerat, tum Wiburgi in Cimbrica Chersoneso, per eundem, qui eo ita se receperat, et ibidem complura ob ingenuam veritatis confessionem initio passus est.

Istis succenturiati aderant alij aliquot, ut Johannes Michaelius Malmogiensis, et M. Christianus Petri Lundensis, inprimis; donec anno 25. quando pervenit eadem doctrina Evangelica in Sueciam quoque per M. Olaum Petri et alios, libertas major fieret nostratibus tum legendi scripta Lutheri cum Biblijs sacris unâ, tum convertendi eadem in linguam Vernaculam, et sic progrediendi ad claram veritatem, via vitæ certissima: id liberaliter indulgente Friderico Rege etiam anno 26. et 27: qui aluit pastorem Evangelicum Olderslovij in Holsatia, non longè a Lubecensibus anno 28.

Ille Regia autoritate curavit fieri Colloquium D. Johan. Bugenhagii Pomerani etc. cum Melchiore Hoffmanno, pellione, Sacramentario, Flensburgi, pro vindicanda veritate restitutæ confessionis veræ fidei, anno 29. et Tausanum jussit rursus Hafniam vocari, qui ibi liberè etiam doceret sanam doctrinam: instituitque præter curam singularem, suam quidem, pro conventu Augustano, et Principibus in eo protestantibus, etc. publicum colloquium heic quoque de religione anno 30: Sicut acta testantur, quæ Malmogiæ statim impressa sunt.

Quæ inde acciderunt nobis felicissime, indies magis magisque usque dum omnia rite confirmarentur hisce regnis per sanctæ memoriæ regem Christianum III. ex sententia etiam quæsitæ Lutheri anno 37. et sic post syncerissimæ confessionis ejusdem semper Fredericum II. ac ejusdem veritatis vindicem conservatoremque strenuum adeo Christianum IV. quem Deus. Opt. Max. nobis ita quàm diutissimè conservet

incolumem: clariora sunt, quàm ut heic de illis plura jam repetenda veniant, præter ea quæ in Occasione proximarum Litaniarum, quoad illa quoque præmisimus de industria. (Der efter følger nærmere Oplysning om den forestaaende Jubelfest).

II. Af „*Indicatio eorum, quæ in annuis Jubilæis Evangelicis per Septentrionem inprimis considerari possunt*“.

1518.

Hoc anno transijt Angelus Arcemboldus in Sueciam, Legatus pro Leone suo, rebus illic turbatis: donec induciæ fierent, datis à Stenone Sture Regi Christierno obsidibus 5 nobilibus præter Gustavum Erics filium etc.

— — quo ipso etiam (anno) Fr. Paulus Eliæ inchoavit collegium Carmelitarum Hafniæ, in platea D. Petri: sicut illud in Intimatione præmissum est¹⁾.

1519.

Apud nos interea Antonellus, Legati Pontificis Frater, cum pecunia Indulgentiali detinetur à Rege Christierno II: qui fraudem olfecerat ipse quoque cum profana simul impudentia; sed spoliatus præda dimittitur tandem intercedente Fratre per Epistolam. Interim impetrarat Rex literas excommunicationis contra Svecos à Leone X. ob defectionem etc. Quo tempore Gustavus Erics filius, qui obses detinebatur in arce Kalæ, aufugiens ad suos fefellit credentem Præsidentem Regium Bannerium.

Et jam feria II. infra octavas ascensionis inchoatæ erant lectiones publ: Hafniæ in Collegio Carmelitarum: in quo erant viri docti, ille M. Paulus Eliæ, Theologiæ Baccal. neque adeò improbens propositum Lutheri, Fr. Andreas Liung, Fr. Nicolaus Mønbo, Laurentius Suenonis, Fr. Magnus Pauli, Fr. Franciscus Wormordus Amstelrodamus, qui post fuit Evang. Episcopus Lundensis in Scania.

Quumque mortuus esset 10. Decemb. Byrgerus tunc Archiepiscopus Lundensis, et Rex Christiernus cuperet sibi

¹⁾ Se foran, S. 42.

tradi Bornholmum, quæ insula pertinebat ad illud capitulum: quod recusarent capitulares, citati in carcerem coniecti sunt.

1520.

Apud nos autem Paulus Eliæ ab Episcopis reprehensus et corruptus, coepit mutare animum, ac liberiores vocem reprimere adversus Ecclesiam Romanam.

Sed rex nihilo minus persistens in sententia, petit à Luthero per literas concionatorem Evangelicum; à quo huc transmittabatur propterea quidam Dominus Martinus, vir eruditus et syncerus: cui potestas fiebat docendi in templo Hafniæ, quod D. Nicolao olim consecratum erat, diebus festis post meridiem: de quo scribit Lutherus Epistol. Tom I. Cumque illo fecit M. Petrus Parvus Rosæfontanus, Witenberga rediens, ut sic confirmaret animos complurium simul; de quibus in Intimatione mentio prius facta est.

Sed et eodem anno Rex, occiso Stenone Sture prorege Sueciæ, regnum illud recuperavit. Sed laniena immani admissa Stocholmii de consilio quorundam, malè sano, abalienavit à se subditorum animos: de quo præter alios scripsit vehementer quoque Paulus Eliæ contra Epist. Joh. Michaelis (de N. T. D.), qui ita jam fecit cum Luthero fideliter. Et hoc in Catalogo accusationum adeo quoque exaggeratum est adversus Regem Christiænum: qui etiam isto anno obtrusit Lundensibus Secretarium M. Georg. Schodtborg pro Archiepiscopo.

1521.

Ad nos redierat isto anno Witenbergæ M. Johan. Tausanus, artium liberalium Magister Rostochiensis¹⁾, Diocesis Otthoniensis ac Monasterii D. Johan. Baptistæ in Antvorschau, mense Octobri inscriptus in matriculam Academiæ ad Theologicæ Facultatis Professionem etc., qui quosdam confirmabat quoque in Evangelica doctrina Lutheri et Philippi, quos audierat feliciter: Sicut etiam, qui jam publice docuit Hafniæ,

¹⁾ Her har Resen (ligesom Hvitfeldt) altsaa den rigtige, siden oversete Efterretning, at Tausen har taget Magistergraden i Rostok.

Dn. Martinus, de quo Lutherus hoc anno T. I. Epistolarum 313, 324. Ut se conqueratur etiam Paulus Eliæ suspectum fuisse nonnullis: quod hactenus favisset Luthero, legisset scripta ejus, ac nugas Monachorum non probaret, in Epistola familiari ad D. And. Chr. etc. in Aug. Eodem anno ob denegata postulata quædam de Bornholmo etc. aufugiit(!) Skodtburgius Romam: ut sub finem ejus substitutus ipsi fuerit, è Belgio cum Sibritha, Theodoricus Slaghek prius regi vulnerarius, cui mala mens, malus animus, etc.

Tum in Suecia hinc elapsus Gustavus Erics filius eligitur Gubernator contra Regem Christiernum: quem, quod faveret Luthero etc. metuens M. Ericus Walchendorphius, Archiepiscopus Nidrosiensis, aufugit in Belgium primum, ac deinde Romam.

1522.

Isto autem tempore vigeat bellum inter Suecos et Regem Christiernum: qui à Pontifice per Legatum admonitus, novam legem tulit de Ceremoniis et Missa Pontificia: ac suum Theodoricum Slaghek, Archiepiscopum scilicet Lundensem, ut Magistrum magnum crudelitatis ad lanienam Stocholmiensem etc., Hafniæ, in foro veteri q: suspensum prius comburi jusserrat, inspectante Legato, pridie conversionis Pauli Apostoli; cui subrogatur die Purif. Mar. M. Joh. Vesalius, Secretarius quoque, nobilis Clevensis. Offensus erat Rex simul adversus Paulum Eliam, inprimis quod vertisset Principem Erasmi in linguam vernaculam, suis moribus contrarium: ut Hafniâ Roeschildiam ad Lagonem Urne migrare coactus fuerit: et post Aarhusium.

Qui ut aliis gratificaretur, vertumnus, reprehendit Epistolâ, sic volente Avone Bilde Ep. Martinum Reinhardum Lutheranum propter Propositiones, quas disputarat ex libro de captivitate Babylonica, respondente quodam Gerhardo Cremonense.

1523.

Debemus verò esse memores simul status quoque in hac Patria nostra, et vicinia, isto tempore: quo Christiernus 2. qui coeperat favere religioni reformatæ, exijt è regno: ad-

monitus de tyrannide sua intolerabili deinceps à nobilitate Cimbrica etc. præter stimulum conscientiæ, de quo Paul. El. ad Joh. Mich. etc. ita ultro navigans Hafniâ mense Aprili in Hollandiam cum Regina et 5 liberis, classe 20 navium: rebus dispositis domi, ut putarat ex sententia; quæ tamen ipsum fefellit, imminente vindicta divina.

Ut sic Fridericus I. Dux Holsatiæ, prius electus mense Martio, ante alios a Cimbris, in successorem, Hafniam obsederit, quam occupavit anno proximo etc. auctis adeo privilegiis nobilium, etc. Et Gustavus, qui obses prius hinc aufugerat, Lubecâ rediens in Sueciam, jam propensus in religionem quoque Lutheranam, Calmarna occupata itim Stokholmio in Junio, Rex ibi eligeretur: qui post illic etiam curavit admitti doctrinam Evangelicam.

— — Rex Christiernus exsul, tum Wittenbergæ coram, tum alibi palam profitebatur fidem Evangelicam: ipso Luthero teste in Epistolis ac responso ad maledicum scriptum Regis Angliæ: De cujus expulsionem, seu egressu, reliquit nobis Disputationem observandam, ex parte Prophetica, pro admonitione, T. 3. Jen. Ger. 348. 350. — —

Sub finem Aprilis Vesalius, corrasis thesauris Cathedræ ac templi S. Laurentij, regem exsulantem secutus erat: è Cæsaris aula post factus Episc. Constantiensis etc. Sleidan.

Atque ita Archiepiscopus eligebatur liberius Acho Sparre, prius capituli decanus etc. interpellante aliquoties Skotburgio de jure suo, sed frustrâ: ut post Canonicus S. Gereonis Coloniae, anno 1551, defunctus sit.

1524.

Interea Rex Christiernus exsul curat imprimi N. Testamentum Danicum Joh. Michaëlis Lipsiæ in 8vo majore, et præfationem ejusdem seorsim Antverpiæ: quasi pro Evangelicis apud nos, contra quam acriter scripsit Paulus Eliæ.

M. J. Tausanus insuper apud nos concionabatur tandem liberè de merito Christi, Anthvorschovij ipso die primùm passionis dominicæ; ut propterea ex carcere etiam evaserit, Wiburgum: ubi haud paucis rectè institutis contra Episcopum G. Frijs et canonicos, Lector Theologiæ post admissus est.

Eodem anno in Augusto Rex Fridericus fautor Evangelicorum coronatur Hafniæ, cum Sophia Regina, à Gustavo Trodle Archiepiscopo Upsaliensi etc: qui advenerat (quod Lundensibus esset recens Electus, ab ipsis tantum) et post erat Episcopus Otthoniensis anno saltim 1534.

Convenit autem paulo post Malmogij, præsentibus Legatis Civitatum Maritimarum, Regi Friderico cum Gustavo jam Rege Sueciæ: de pace publica et Regnorum simul contra R. Christiernum confœderatione.

Reprimebantur tunc quoque in Suecia duo Anabaptistæ, per Frisiam ex cohorte Alstedensium¹⁾ Melchior Hoffmannus Pellio et Johan. Campensis, etc.

1525.

Isto anno Rex Fridericus I. permittit palam doceri Evangelium in Holsatia; et ita tandem advenit fidelis concionator Dn. Georgius Winterus ad filium ipsius D. Christianum, qui jam duxerat Dorotheam Lovenburgensem etc. Sed neque apud nos quemquam impediit: ut Wiburgi quoque ex carcere docuerit Tausanus: qui liberatus per cives benevolos, convertit illic Fratrem Erasmum Minoritam: de quo conquerebatur Paulus Eliæ, Epistola ad ipsum anno proximo.

In Svecia M. Olaus Petri, Canonicus Strengenesius, respondit primùm ad XII quæstiones Regis Gustavi. Et post cum aliis Witenbergâ reversis coepit propagare veram doctrinam; de quo idem Paulus Eliæ ad Gustavum similiter.

1526.

Apud nos indulget Rex Fridericus Tausano majorem quoque licentiam Wiburgi: concessa potestate quoque Georgio Johannis, Lutheri discipulo, informandi juventutem: qui pòst M. (!) Episcopus Otthoniensis factus est. Eiecit præterea Melchiorem Pellionem Sacramentarium.

In Svecia disputavit M. Olaus Petri contra Dn. Petrum Galle etc. præsentem Rege Gustavo: qui ita moliebatur reformationem: ut Johannes Magnus Archiepiscopus Upsalensis

¹⁾ Thomas Münzer havde været Præst i Alsted.

aufugerit Romam propterea: ubi Historiam de Gothis commentatus est.

Atque isto anno etiam, ex gratia Dei, Flensburgi et Hamburgi Evangelium prædicatum est liberius. De Rege Christierno hoc amplius habet Lutherus in Epistolis 313: quod fuerit nunc homo longe miserrimus: ut qui soli Christo viveret mirabiliter: et qui literas miserat tristissimas, cum legatione miserabili: addens hoc quoque: fortè Deus aliquando ferinam (ut dicitur) regem et reginam ad coelum vocabit: atque eum regem de quo minimè sperasset sensus humanus: ut sit mirabilis ad ludendum nostrum iudicium.

1527.

In Patria nostra Fridericus Rex Otthoniæ, ubi comitia tunc erant, præ se tulit manifestè, quàm faveret religioni Evangelicæ, etiam oratione habita ad Episcopos de libertate Christiana concedenda, et sancto conjugio quibusvis permitiendo: tum ne pallium Episcopale Romæ redimeretur, accipiendum potius ab ipsis Regibus: ut sic pergeret Tausanus Wiburgi etc. ac Dn. Claudius Martini in agro Malmogiensi primum doceret, et deinde in urbe ipsa feliciter.

Tum filius Christianus, Dux Holsatiæ, Magdeburgo accersivit sibi Dn. E[be]rhardum & Dn. Hermannum Tast: qui in Ducatu plenius propagarent sanctam veritatem.

In Svecia postquam Johannes Magnus excesserat, mutatur status Episcoporum in Comitibus Arrhoënsibus: edito libello M. Olai Petri contra Paulum Eliæ, etc.

1528.

Wiburgi Cives, armata manu, audiunt Evangelizantem Tausanum, contra vim Episcopi et Canonicorum: qui in arcem Haldensem confugere coacti sunt. Tum Malmogij cœperunt etiam cum Evangelio unà cantare Danicè in cœtu Ecclesiæ cum Domino Claudio Martinio, itim Dn. Johanne Spandemager, etc.

Sed et ipse Rex Fridericus Oldeslovij in Holsatia prope Lubecam constituerat Pastorem Evangelicum: qui alios in vicinia quoque alliceret. Tum Privilegio suo munivit Psal-

terium Davidis Danicum, quod verterat Fr. Franciscus Wormo[r]dus, adjutore Paulo Elia: quod sic eo anno Rostochij impressum est.

In Svecia Rex Gustavus, peractis plerisque negotiis Ecclesiasticis ex sententia, Upsaliæ coronabatur etc. Sed contra ipsius reformationem ac quæstiones scripsit tunc vehementer Paulus Eliæ librum Danicum, impressum Hafniæ: succenturiatus in eo D. Petro Gallo Pontificio, cujus ipse sic meminit honorificè.

1529.

Apud nos benigno indultu Regis Friderici Tausanus vocatus concionabatur liberè in Templo D. Nicolai Hafniæ, cum canticis Danicis etc. ac Dn. Claudius Martini edebat Missam Danicam cum libro Canticorum D. quoque, accedente opera simul Dn. Arvidi Petri, Pastoris Bornholmensis. Et Jacobus Rønou Ep. Rosch. redimit pallium a Rege: Qui curavit præterea institui colloquium Flensburgi D. Bugenhagij cum Melchiore Hofmanno: postquam Kilonii et in vicinia cum Johanne Campensi et Hegio de utroque Sacramento complures deceperat: ut sic ex Ducatu quoque ejecti sint. — Sed et Christianus filius Hatterslebio dimisit Monachos minoritas.

1530.

De fœdere Smalkaldico ut deliberaretur maturè, contra vim injustam, cum aliis invitatus erat quoque Rex noster, Fridericus I. ut Evangelicus unà, ad 22 Decemb. etc. qui jam indulserat suis doctrinæ veræ confessionem, cum Sacris in universum, Linguâ vernaculâ: neque id saltim, ut priùs, Viburgi et Malmogiæ, sed etiam per Holsatiam, et Hafniæ quidem: ubi ita perrexit Tausanus strenuè, ut 3 Natalis Domini irruerint complures in Ecclesiam collegiatam D. V. propter superstitiosam adorationem Sanctorum, atque inde illa sic clausa fuerit jussu Regis, usque ad 4 Feriam in 8. D. Martini anno proximo.

Indignabatur Paulus Eliæ, q. contra præposteram audaciam Lutheri cum suis, etc. sed de eo, pro Apologiâ justâ, etiam quando restituebatur Pontificiis templum illud, scripsit

Tausanus copiosè: ut et Rex Sereniss. pro sinceriore juventutis institutione auxerit Academiâ Privilegiis et bonis Canoniorum Hafniensium: neque multum repugnante Roëschildensi Episcopo propterea.

Fiebat etiam publica Disputatio Hafniæ, in conventu procerum Regni frequentissimo, impressa Malmogiæ in octavo: exiit etiam responsio Pauli Eliæ de missa ad Consules Hafnienses: præter illa quæ agitabantur inter Malmogienses et Dn. Cantorem Lundensem de Religione.

Flensburgi magnum Monasterium Monachorum convertebatur in nosocomium, indultu Regis Friderici, præterquam quod alia ibidem quoque destruerentur penitus, quemadmodum id prius prædictum fuerat: Sicut et Hafniæ templum S. Clementis, aliaque tùm per Fioniam, tùm Chersonesum Cimbricam.

Sæviit tunc quoque incendium in templum Archi-Episcopale Nidrosiensium, quod erat ex solido marmore splendidissimum cum columnis fuis artificiosissimè: ut chorus saltim relinqueretur, qui hodieque illic pro templo est: præter alia incendia, tùm apud Randrusienses et Alburgenses, tùm Otthonienses; annè q: ex igne justissimæ iræ Dei? contra immundiciem status prioris multiplicem.

1531.

Uniunt se protestantes fœdere Smalkaldico, ad quod etiam Fridericus adscribi voluit, ut ejusdem Religionis, pro necessaria defensione.

Sed interea bellum movit contra ipsum Christiernus II. et classe recuperans Norvegiam, ab Asloja usque omnes homagium sibi præstare coëgit, resistantibus solis, qui tenebant arcem Agershusensem: donec per Legatos Imperatoris et Regis Romanorum certæ conditiones proponerentur ad restitutionem.

Apud nos M. Christiernus Petri, Lundensis, librum edidit, de recta educatione puerorum; Itim, Psalterium Davidis, Danicum, impressum Antverpiæ.

Hafnienses expellunt Monachos: ut Paulus Elias ipsis comminetur vindictam expectandam 100 annis proximis, in libro de Missa ad Consules: præter alia quædam similiter de tali tempore.

Roischildenses destruunt templum S. Laurentii in media urbe. Coagienses Monasterium convertunt in nosocomium: et Moniales Arhusienses claustrum reliquerunt tendentes ad vitam liberiolem: quas Avo Bilde Episcopus neque adeò impediit.

1532.

Rex Christianus, sub conditionibus, rediens ad patrum Fridericum in Daniam, in custodiam, Synderburgum missus est, sicut ipsi prius prædictum fuerat.

Melchior Hofmannus, qui prius turbarat etiam Holsatiam, in carcere obiit Argentorati. — Die omnium Sanctorum inundat oceanus indè à Ditmarsia, Ripas usque, terribiliter: sed et Monasterium insigne Visbyense destruitur in Gothlandia: et quod erat Franciscanorum Hafniæ mutatur in nosocomium, sicut et aliquot, pulsus Monachis, per Scaniam.

1538.

Apud nos, mortuo Friderico Rege Gothorpii et sepulto Slesvici (de cujus confessione testatur etiam Canticum ipsius, in Libr. Ecclesiastico Cant. f. 272), Comitibus erant Hafniæ in Junio de successore, in quibus cum Episcopis consenserunt alii complures de restituendâ Religione Catholicâ, edito etiam ad reliquos, per Paulum Eliam, responso uberiore contra Articulos Lutheranorum.

Tausanus autem, quem ex ipsius Libro Danico probat idem Paulus cum Zvinglianis facere, et negare præsentiam veri Corporis Christi in Sacramento Cœnæ Dominicæ, ut condemnatus propterea excedere iussus est, subsequutâ persecutione Evangelicorum per Scaniam potissimum.

Verum ubi ante exitum, mense proximo, se rectius declararet, intercedente Magno Gæe, Magistro aulæ, item Jacobo Rønno, Episcopo Roischildense, cum cæteris rursus admissus est, postquam polliciti erant saniora et modestiam absque infirmiorum intempestiva perturbatione.

Atque ita eduntur interea Libri Danici, pro Religione reformatâ et reformandâ, ut lepidus Dialogus de Missa et ejus agone extremo, de Vigilijs superstitiosis Satyricus, Itim Quæst. M. Christiæ Petri de doctrina Christiana: sicut et

novum Testamentum Dan. per eundem, Canonicum Lundensem, impressum Antverpiæ in octavo¹⁾: ut Confessionem Augustanam sic simul Danicam fecerat M. Georgius Joan. Sadolinus Viburgensis (qui post fuit Episcopus Otthoniensis) impressam Hafniæ per Johannem Viingaard, etc.

1534.

Turca impeditur per Persam, ne noceat Germaniæ: et Christophorus Oldenburgicus cum Lubecensibus, etc. Itim Clemente nauclero etc. felicibus auspiciis à Cimbris, electi Regis Christiani III²⁾ ne nimium turbarent patriam universam: occupatâ interim, die Visitationis Mariæ, Ecclesiâ Collegiatâ D. V. pro Evangelicis, rursus, ubi advenerat Comes ille Oldenburgicus, etc.

Cessantibus autem nonnihil tumultibus, imprimi curabat Paulus Elias Principem Erasmi, quem Danicum fecerat, Roischildæ per Johannem Barth, et alium librum, Danice scriptum quoque, de Christianâ conciliatione dissidiorum, quæ in Ecclesia jam exorta fuerant.

Edidit etiam Franciscus Vormordus, Concionator Malmogiensis, Articulos 21. ad salutem necessarios, ex Typographiâ Hafniensi Johannis Vinitoris Stuchgardiensis.

Imprimebatur quoque Malmogiæ libellus ex Germanico Lutheri, anni 27. Quatenus fuga tempore pestis concedi possit.

1535.

Apud nos, invitato etiam Alberto Duce Megapolensi (qui quoque favebat Evangelicis Hafniensibus) res seditiosis minus successerunt: ut exercitus Christiani III. Regis, electi etiam à Norvagis, repugnante saltim Olao Archiepiscopo Nidrosiensi, victoriam obtinuerit contra duos comites etc. Johannem de Hoja et Nicolaum de Teklenburg etc., ut sic trajecerit Rex ipse cum exercitu in Seelandiam, ubi Hafniam obsedit, die S. Olai: sic transiens ex castris ad Scanos, qui plerique

¹⁾ Chr. Pedersens Oversættelse af det Ny Test. udkom 1529. En Udgave fra 1533 kjendes ikke.

²⁾ Texten, som nøje er gjengiven efter Originalen, er underlig sammentrængt og ukklar paa dette Sted.

ipsi favebant, indeque Stocholmum ad affinem, Regem Gustavum, de auxilio etc. desperantibus tandem adversariis propemodum.

Apud nos imprimitur Malmogiæ Liber Missæ Danicæ fermè juxta Lutherum, in octavo majore, cum spectantibus ad Baptismum, Conjugium, Visitationem ægrotorum, Sepulturam quoque, Itim Collectas et Litanias.

Prodiit etiam Malmogiæ contra Pontificios pro Luthero, conversus in Danicum Liber Germanicus, scriptus An. 1630. (!) de Deo Veteri et Novo, ac fide similiter: neque tale quippiam impediabatur per Scaniam, ad istam Diœcesin jam vocato inprimis Dithlevo Reventlovio¹⁾: qui prius fuerat Regis Friderici Cancellarius et cum illo amaverat doctrinam Evangelicam: observans quoque filium, electum Regem, Christianum III. inprimis propterea.

Som ovenfor antydet, ende de os bekjendte Exemplarer af „Lutherus triumphans“ uden Afslutning, saa at et eller flere Blade synes at mangle. Men i Indledningen til nærværende Afsnit siger Resen:

Qvoniã hoc requirebant quidam Verbi Dei ministri ac juvenes Studiosi puræ Theologiæ unà, ut haberent consignata breviter momenta præcipua rerum, de quibus ita quotannis cogitarent, aut mentionem aliquam facerent, potissimum: Unde paucula etiam coram populo, pro concione delibari poterant, ad gratiarum actionem etc. in finem quoque ejusmodi sequentia heic compendio subjunguntur officiose: Idque propemodum juxta Annales Ecclesiæ Evangelicæ, seu indices rerum memorabilium, à tempore reformationis inchoatæ, anno 1517: quales breviter communicabantur auditoribus, Studiosis puræ doctrinæ, in R. Academia, post succinctam explicationem Confessionis Augustanæ, anno 1596.

¹⁾ Denne besønderlige Efterretning har, saa vidt vides, intet historisk Grundlag.
